S. ANASTASII SINAITÆ

Anagogicarum Contemplationum IN HEXAEMERON LIBER XII. hactenus desideratus.

Cui præmissa est

EXPOSTULATIO

AD

S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI Epistola

Ad CÆSARIUM Monachum,

ADVERSUS

APOLLINARII HÆRESIN.

A Parisiensibus aliquot Theologis non ita pridem suppressa.

LONDINI.

Typis *M. Clark*, Impensis vero *Roberti Littlebury* ad insignia Regia in vico vulgò dicto Little-Buttain. 1682.

~~375:7 8~~
38 – 692,3

Erudito Lectori.

Haud mihi animus est, erudite Lector, diu te in limine detinere; unum tantum monere libet, ne quem insolens scriptionis nuperæ cum vetustioris ævi scriptione conjunctio commoveat. Fecit id commune utriusque Argumentum. Obstitit anno superiori Parisiensium aliquot Theologorum fraudulentum ingenium, ne videret lucem S. Joannis Chrysostomi Epistola ad Cæsarium, quippe quam dogma de Transubstantiatione pessundare animadverterent. Nefandum illud facinus, ne in obscuro maneat, curavit apprime Expostulationis ad Cl. Hampdenium Autor. Ea igitur, donec Pontificios, quam Epistola hac Chrysostomi per injuriam

ſuppreſſa, admiſerunt pudeat fraudis, tum publica ac juſta accuſatio apud æquos rerum æſtimatores futura eſt, tum ipſius Chryſoſtomi Epiſtolæ ad Cæſarium vices ſupplebit. Haud magis improbabilis eſt Conjectura ſimilem admodum cujuſpiam ſedulitatem in eodem Pontificiorum dogmate tutando, in cauſa fuiſſe ut hactenus ſui parte eximia caruerit opus Anaſtaſii Antiocheni in Hexaemeron. Scilicet cum ea ibi habeat Anaſtaſius, quæ Tranſubſtantiationi tam adverſantur, quam quæ maxime, non alia commodiori ratione, ſuæ cauſæ conſultum arbitratus eſt editor, quam ſi hanc partem integram ſupprimeret ſuæque cauſæ ferale telum nullo pene negotio averteret. Cum igitur illius exemplar Manuſcriptum quod, e Bibliotheca R. V. Joannis Dallæi, in Bibliothecam ſummi viri, Joannis Baptiſtæ Colberti Miniſtri Regii, nuper tranſlatum eſt, nactus fuiſſem, operæ pretium exiſtimavi partem

tem illius extremam in lucem emittere, malo ni fallor hactenus dolo, idque ex cauſæ Pontificiæ ſtudio ſuppreſſam. Hæc mihi fuit cauſa Expoſtulationem cum Anaſtaſii duodecimo libro in Hexaemeron conjungendi, quam a ratione alienam cur quis exiſtimet, non video. Unum addo, tum manum de tabula, ſcilicet Cl. Andreæ Dacerii, cujus ſtudiis quantum bonæ litteræ debeant ex Feſti editione probe intelliges; tum interpretationem Latinam, tum ipſius conjecturas adjicere curavi, quod palam profiteor, ne quem ſua gloria in aliquo videar defraudaſſe.

EXPOSTU-

EXPOSTU-

EXPOSTULATIO

De nupera Epistolæ S. Joannis Chrysostomi ad Cæsarium Monachum adversus Apollinarii hæresim suppressione, ad Clarissimum virum Jo. Hampdenium.

DOleo plurimùm, vir clarissime, quod tuis & eruditorum benè multorum votis hactenus non omninò potuerim satisfacere, quamquàm aliqua ratione quod ægrè passi estis damnum sim, Deo auspice, resarciturus. Miratus es, mirati sunt idipsum plurimi quî factum sit, ut in volumine quo nuper Palladii de vita S. Joannis Chrysostomi Dialogum edidit vir præstantissimus Emericus Bigotius, post paginam 236. integer desit quaternio. Quid huic lacunæ occasionem dederit, ut æquè in omnibus, quæ ad vos transmissa sunt, exemplaribus reperiatur, tum nosse te cupere, tum alios eruditos idipsum solicitos habere significas. Rem omnibus in hac urbe compertam sic paucis accipe, & ne vestros lateat, hanc meam expostulationem ad amicos mittere cura. Uno verbo nec id errore ab operis Typographi, quod alias contingit, in numeris admisso factum est, nec compactorum negligentia periit,

qui ab exemplaribus omnibus abeſt quaternio: Hanc nobis lacunam peperit pia fraus Theologorum aliquot Pariſienſium quibus nimirùm, ut novit orbis, jamdiu ſolenne eſt, ut ea adulterent aut abolere penitus ac expungere ſatagant, veterum ac recentiorum ſcripta quæ Eccleſiæ ſuæ placitis adverſa comperiuntur. Qui malo dolo abciſſus nunc deſideratur quaternio, ille Epiſtolam S. Joannis Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum adverſus Apollinarii hæreſin repræſentabat, quod Scriptum, quia non admodum ſuo de Tranſubſtantiatione commento conſentaneum eſt, ſatius eſſe arbitrati ſunt boni librorum Cenſores omninò ſupprimere, quàm ſibi ſuæque communionis hominibus aliquod negotium in illo ad Romanenſis fidei normam reducendo faceſſere.

Jamdiu eſt cùm Cl. Bigotius ex Italia redux Florentiæ ſe hanc Chryſoſtomi Epiſtolam admodum ex iis quæ mox narrabo celebrem, reperiſſe teſtatus eſt, eam cùm primùm daretur occaſio, in publicam lucem emiſſurum ſe pollicitus, quo de tam momentoſo ſcripto utriuſque communionis eruditi, quod jamdiu habebant in votis, judicium ferrent. Duodecim fluxerunt anni ex quo rem in publicum protulit Fagetus abbas, cleri Galliarum generalis agens, & Illuſtris Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi conſobrinus, Epiſtolâ ad primum Palenſis in Bearnia Curiæ præſidem Illuſtr. Archiepiſcopi filium. Quippe ubi retulit Petrum de Marca hanc ad Cæſarium Epiſtolam pro genuino Chryſoſtomi fœtu habuiſſe, ſubjungit, *nec in iſto judicio*

judicio falsus fuit, quippe Dominus Bigotius, quem bonæ litteræ æquè ac bona fides apud eruditos commendant, quam se superiori sæculo è Florentina Bibliotheca descripsisse Petrus Martyr retulerat *in eadem Bibliotheca se reperisse testatus est*. Fatetur ipse Bigotius se Nicolium Claudii antagonistam monuisse litteris ne quod objecerat Perronius suppositionis crimen Petro Martyri, idipsum illi, cum apud se extaret Epistola, crimen impingeret, quod etiam diligenter cavit Nicolius. Denique cùm nuper sub prælo jamdiu gementem Palladii Dialogum illicò lucem visurum amicis variis significaret ipse Bigotius, hanc Epistolam Chrysostomi post ejusdem sanctissimi doctoris vitam, loco maximè opportuno se itidem editurum esse sæpissimè pronunciavit. Id nemo non novit cui Bigotius ipse aut Menagius, aut Justellus, aut Baluzius aut Formentinus aut Santolius, clarissimi viri, aut aliquot alii qui bonas excolunt in hac urbe litteras, non sunt penitus insalutati. Quid quod nonnulli sunt qui Bigotii præfationem quam posteà ad Censorum libitum refingere coactus est, viderunt? eâ autem fusè exsequebatur, tum qui in hanc Chrysostomi Epistolam Florentiæ diu à se quæsitam, inopinatò ac tantum non desperans incidisset: tum qualis esset MS. Codex ex quo illam descripserat. Quin ipse liberè professus est apud amicos, se à Censoribus forsan, quod reapse contigit, hanc propter Epistolam sibi metuentem, tum aliquot ejus exemplaria jam excusa sibi asservasse, tum alia nonnulla apud quospiam amicos, imò Sorbonicæ familiæ Theologos reposuisse. Denique quæ tum in Anglia,

gliam, tum in Belgium, tum alibi miſit prioris paginæ jam excuſæ aliquot exemplaria hanc Epiſtolam cum Palladio mox proditurâm rem omnibus notam fecerunt. Omninò igitur vir probus in culpæ ac fraudis partem, in eo negotio minimè vocandus eſt. Haud magis illius eruditio quam bona fides & ingenuus candor perſpecta ſunt. Verùm ſi hæc illi laus debetur meritò, nec ab invito pangitur, quin aliud longè judicium de Sorbonicis Cenſoribus ferendum ſit nullus dubito. Imò quod ob hanc iniquam tam momentoſi ſcripti & tamdiu expetiti ſuppreſſionem admodum culpandi ſint, conſentiunt vel ipſi benè multi ex Pontificiis, quibus hæ artes in bona quam ſe habere exiſtimant cauſa tutanda palam improbantur. Id publicè loquuntur varii Sorbonicæ Scholæ doctores qui vel eo nomine Dominum Martinum Grandinum Theologum Pariſienſem, aliàs veterum Manuſcriptorum editioni infenſiſſimum ac editoribus, quod ipſe paſſim profitetur, & Dominum Faure Illuſtr. Archiepiſcopi Rhemenſis vicarium generalem & Sorbonicum doctorem, tanquam parùm æqui conſilii autores, fraudiſque totius artifices traducunt.

Speraveram quidem amicorum opera fore ut aliquod exemplar hujus à Cenſoribus ſuppreſſæ Chryſoſtomi Epiſtolæ poſſem ad te tranſmittere, cùm potiſſimùm paſſim jactarit Bigotius ſe Cenſorum conſilio, rem in aliud tempus diſtuliſſe quo poſſet non modo illam Latinè ſed etiam ſi Græcus occurreret Codex, Græcè edere. Verùm cùm hactenus illud nanciſci exemplar non potuerim, quam

ea

ea ſit inſignis fraus, quámque illaudabilis ſuppreſſio lubet apud te ediſſerere.

Quis fuerit Joannes Chryſoſtomus quantæque autoritatis neminem latet, niſi qui in hiſtoria Eccleſiæ penitus hoſpitem agit. Poſtquam Antiochiæ cum ſumma gloria diu docuit, Conſtantinopolim ab Arcadio vocatus orbis totius doctor audiit; Theophilo tamen Alexandrino & variis exoſus. Hunc livorem viro eximia eloquentia & ſummus virtutis amor conciliaverat. Ab occidentis Epiſcopis, Romano imprimis, animosè defenſus eſt, nec unquam inter varias, quibus variè impetitus eſt, calumnias fidem Eccleſiæ circa Euchariſtiæ myſterium adulteraſſe fertur. At enim eximius ille antiſtes ea ſcripſit paſſim quæ Romanenſium fidem de Tranſubſtantatione funditùs evertunt. Noſti quæ ex illius operibus propemodum infinita collegit Albertinus, longè plura ſi libuiſſet cumulaturus. Noſti quam ab eo errore illum alienum fuiſſe vel unico argumento confirmaverit nuperus ſcriptor Diſſertationis de Sanguine Jeſu Chriſti ad Auguſtini Epiſtolam CXLVI. quæ eſt ad Conſentium. Nimirùm probavit Chryſoſtomum Origenis de corporum poſt reſurrectionem, imo de ipſius corporis Chriſti ſtatu, foviſſe ſententiam. Jam autem notum eſt Origenem prorſus negaſſe, quod adhuc Chriſti corpori poſt reſurrectionem ſanguis poſſit ineſſe, id autem quidquid id eſt, quam bellè cum fide realis præſentiæ ſanguinis Chriſti in Euchariſtia conveniat, nemo non advertit. Id expreſſè Andreas Sauſſayus Catalaunenſis poſteà Epiſcopus fatetur in Hiſtor.

Chro-

Chronolog. pugnæ de geneal. hærèt. p. 14. *Nam ſi ſalvator* (inquit.) *nec carnem nec ſanguinem habet, procul dubio non poſſet nobis in Euchariſtia carnem ſuam & ſanguinem ſuum præbere.* In his non hæreo, ea jam nunc referre lubet, quæ Epiſtolam Joannis Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum adverſus Apollinarii hæreſin, de qua nunc agitur, ſpectant.

Qui primus Chryſoſtomi Epiſtolam laudavit Petrus Martyr Florentinus, is illa in diſputatione adverſus Gardinerum Wintonienſem Epiſcopum Anno 1548. habita uſus eſt; Eam autem ex codice quopiam MS. quem Florentiæ tum extantem exſcripſerat prompſiſſe ſe & integræ in Bibliotheca Beati Martyris Thomæ Cranmeri Cantuarienſis Archiepiſcopi apographum repoſuiſſe profeſſus eſt; Hæc autem ſunt verba quæ Petrus Martyr in rem ſuam laudavit. *Et Deus & homo eſt Chriſtus, Deus propter impaſſibilitatem, homo propter paſſionem, unus filius, unus dominus, idem ipſe proculdubio, unitarum naturarum, unam dominationem, unam poteſtatem poſſidens, etiamſi non conſubſtantialiter exiſtunt, & unaquæque immixta proprietatis conſervat agnitionem, propter hoc quod inconfuſa ſint duo. Sicut enim antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia mediante ſacerdote liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus eſt dominici corporis appellatione, etſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora ſed unum filii corpus prædicatur, ſic & hæc divina inundante* (legendum eſt hic, *inſidente corpori natura*) *unum filium, unam perſonam utraque hæc fecerunt.*

Quid

Quid ad hæc repoſuit Gardinerus Anno 1552. Haud negat ille Epiſtolam à Martyre laudatam eſſe vetuſtiſſimi cujuſpiam ſcriptoris fœtum. Verùm duo molitus eſt; ac primò quidem abjudicare Epiſtolam Chryſoſtomo conatus eſt & illam Joanni alteri Conſtantinopoleos itidem Epiſcopo, ſed qui inferiori vixit ævo, & Eleemoſynarius cognominatus eſt, vindicare; alterum verò fuit vim teſtimonii ex hac Epiſtolâ ducti eludere, ſcilicet hunc locum, juxta eam omnino methodum quam Duacenſes Theologi in ſcriptis veterum emolliendis an corrumpendis liberè admodum poſita fronte profeſſi ſunt, in alium ſenſum invertere operoſe ſtuduit.

Verum Gardineri methodum minus tutam arbitratus Perronius Cardinalis Petro Martyri falſi dicam ſcribere maluit, & ſuppoſitionis arguere hanc Chryſoſtomi nomine laudatam Epiſtolam, quam in ſententia, ſeu Chryſoſtomi ſit, ceu mavis Joannis Eleemoſynarii Epiſtola, ad ſuæ communionis hominum guſtum reducenda inſudare. Fusè admodum vir ad nauſeam dicax ingerit, Primò Contrariam eſſe ſententiam hujus Epiſtolæ Chryſoſtomi placitis, quæ Homiliâ in Encœniis habentur, unde falsò hanc ad Cæſarium Monachum Epiſtolam Chryſoſtomo tribui demonſtraſſe ſe exiſtimabat. Secundò, ſibi Petri Martyris fidem ſuſpectam eſſe meritò, tum quod hæc Epiſtola in Chryſoſtomi operum editionibus, ſeu Græcis ſeu Latinis non extet, tum quod illa in Bibliothecis Orientis aut Occidentis quas recenſet, quaſi dēnùm ſingulas luſtraſſet haud, reperiatur uſpiam manuſcripta; urget.

get. Tertiò, quod ab univerſis Catalogorum ſcriptoribus, qui poſt octavum ſæculum floruerunt haud ſit inter Chryſoſtomi opera memorata; denique quod nec ab annis 1200 in controverſiis adverſus Eutychem inter alia Chryſoſtomi loca quæ paſſim à veteribus laudantur fuerit adducta. Hæc ſunt maximè unde Martyri inequitare ſe poſſe putat, quaſi qui dolo malo ſuppoſuerit apographum, tanquam ex bibliotheca Florentina excerptum. Duo addit Colophonis in modum. Primò, fraudis ut videtur conſcios Anglos nunquam auſos hanc Epiſtolam in lucem edere, licèt illius apographum habuerit Cantuarienſis Archiepiſcopus. Secundò, ſedulò quæſitam à Geſnero, Simlero & Friſio, hanc Epiſtolam nullibi tamen ab iis fuiſſe repertam, unde rem confectam & Petrum Martyrem falſarium eſſe pronuntiat.

Hæc ille de Euchariſtia adverſus Pleſſæum diſputans, Pag. 381, 382, 383. oraculi in vicem: verum quæ ſint Sybillinis foliis leviora. Etenim ut mittam, falsò à Perronio afferri, hanc Epiſtolam contradicere Joannis Chryſoſtomi Homiliæ de Pœnit. & Euchar. in Encæniis, quod à noſtris fusè demonſtratum eſt; Quis tamen his quas cumulat Objectionibus tantum concedet, ut Epiſtolam ad Cæſarium à Petro Martyre malo dolo ſubjectam fuiſſe exiſtimet? An ergo ſtatim cujuſpiam ex veteribus Epiſtolæ ſuppoſitæ ſunt, ab eo qui primus in Manuſcriptum quempiam codicem rariſſimum incidit? Lactantii librum qui tam diu deſiderabatur, edidit nuper Cl. Baluzius ex unius Manuſcripti Codicis

Codicis fide qui forsan solus in orbe supereſt. An illum eam ob rationem ſuſpectum habent viri eruditi, aut Cl. Baluzio hujus fœtus ſuppoſitionem objiciunt ? In pluribus Bibliothecis aut Codicibus Manuſcriptis hujus Epiſtolæ ad Cæſarium nulla extiterunt veſtigia. Quid tum? Si in unâ quâpiam Bibliothecâ & in Codice antiquâ manu deſcripto, occurrat, num quid erit damni ? Edidit nuper Queſnelius aliquot Leonis I. Epiſtolas ex uno Grimanico Codice : Ediderunt Benedictini Monachi non ita pridem Auguſtini aliquot itidem Epiſtolas ferè antea omnibus ignotas, quibus idipſum poſſit objici quod à Perronio factum eſt adverſus hanc Chryſoſtomi Epiſtolam. Quis tamen ex eruditorum gente falſi dicam illis objecit ? Denique quis neſcit quàm ſedulò caveant Pontificii ne ex eorum Bibliothecis ea prodeant in lucem quæ ſuis rebus parum ſint opportuna ? Theodoreti Epiſtolam ad Leonem I. ubique habent, ubique ſedulò oſtentant, & commentarium Theodoreti in controverſiam Pauli cum Petro relatam in Capite I. Epiſtolæ ad Galatas ita expunxerunt ex Manuſcriptis Codicibus, ut etiam nunc in Bibliothecæ regiæ Codice nitidiſſimo, ex Italicâ quâpiam, ut videtur, Bibliothecâ deſcripto, nil illius extet quod tamen ad veram Theodoreti ſententiam de Romani Pontificis ſucceſſione in jura Petri, ejuſdem commentitiâ Infallibilitate ac Primatu, intelligendam admodum fuiſſet conducibile. O homines in veterum tractandis monumentis mirè religioſos! Omnia apud eos craſſiſſimis ſuppoſitionibus ſcatent, in id plu-

rimi eorum laborant, Expurgatoriis Indicibus omnia plena ſunt, nil Harpyiarum iſtarum profanas pollutaſque manus effugit. Hâc malâ fide publicè exultant & tamen noſtris ſubjectionis fraudes objiciunt. *Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?*

Cæteras Purpurati licet hominis ineptias prætervehor, ut tria notem. Primum eſt, abſurdè admodum illum Angliæ Theologos Epiſtolam ad Cæſarium in lucem edere non auſos fuiſſe dicere, fraudis quam admiſerat Petrus Martyr probè conſcios. Quippe notum eſt, poſt mortem beatiſſimi Martyris Cranmeri, illius Bibliothecam à ſicariis fuiſſe direptam. Alterum eſt, falsò itidem à Perronio aſſeri, nemini veterum hanc Chryſoſtomi ad Cæſarium Epiſtolam per 1200 Annos memoratam fuiſſe, cùm tamen in Eutychis controverſiâ benè multa ex Chryſoſtomi operibus veteres adducere ſoleant. Illam enim laudavit vetus autor qui contra Severianos & Acephalos ſcripſit, à Turriano in lucem editus, ſcilicet cùm probandum ſibi ſumeret, *Quod quidam Patres repudiarunt nomen Mixtionis in myſterio incarnationis*, poſt laudatum Ambroſium addit,

Chryſoſtomus ad Cæſarium Monachum.

Hoc eſt abſurdum Apollinarii amentis, hæc eſt hæreſis ipſiſſima introducentium Mixtionem & Compoſitionem. Hunc porro ſcriptorem tam clarè ad locum à Petro Martyre productum alludentem poſt ſeptimi ſæculi

culi medium floruiſſe, inde patet, quod Maximum Martyrem & Anaſtaſium adverſus Θ ζωνταν laudaverit.

Notavit id jamdiu Albertinus, qui etiam animadvertit Damaſcenum, in Tractatu contra Acephalos, à Turriano poſt Petri Martyris mortem edito, poſtremam hujus loci Epiſtolæ ad Cæſarium periodum, hoc eſt, redditionem comparationis à pane Euchariſtiæ ductæ ex eâdem Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum Epiſtolâ proferre his verbis: *Sic etiam hic divina natura in ipſo inſidente unum filium, unam perſonam utrumque conſtituit.* His teſtibus, qui quod Perronius optabat præſtant abundè, jungendus eſt alter teſtis Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui hanc ipſammet Chryſoſtomi duobus locis laudat Epiſtolam, in diſputatione adverſus imaginum impugnatores, quæ extat Manuſcripta in Bibliothecâ Colbertinâ.

Denique non modo teſtes extant in eâ cauſâ ſupra omnem exceptionem fide digni, ex quibus diſcimus, tum ad Cæſarium à Joanne Chryſoſtomo ſcriptam eſſe Epiſtolam, tum ipſammet eſſe ex qua fragmentum à Petro Martyre prolatum eſt adverſus Gardinerum; verùm ipſemet Codex quem vidit Petrus Martyr extat ad hunc uſque diem, ipſamet ſupereſt Epiſtola cujus apographum in Bibliothecâ Cl. Cranmeri ſub Mariæ regno direpta repoſuerat. Hunc Codicem MS. Florentiæ in Bibliotheca quâpiam (Dominicanorum ni fallor) reperit Clariſſimus Emericus Bigotius, vari-

arum Bibliothecarum luſtratione admodum celebris, vir probatæ admodum fidei, qui etiam dum hæc ſcribo in vivis eſt, mihi contradicturus ſi quid contra verum auderem. Sunt etiam viri probi qui Bigotium alterum Emerici conſanguineum, in ſupremo Pariſienſium ſenatu Conſiliarium & magni nominis virum, hanc ipſam Chryſoſtomi Epiſtolam in gentilitii ſui manibus eſſe agnoſcentem, ejuſdemq; ſuppreſſionem improbantem nuperrimè audiverunt. Hunc Theſaurum quem lætanter eruerat in lucem editurus, quod poſt reditum ex Italiâ paſſim apud varios ſignificavit; hanc inquam Epiſtolam, ut ſupra retuli, poſt Palladii de vitâ Chryſoſtomi librum excudi etiam curaverat, in præfatione fusè ediſſerens, tum quî in hanc Chryſoſtomi Epiſtolam incidiſſet, tum qualis ſit Codex, cujuſque antiquitatis, quem ante quadringentos annos ſcriptum eſſe pronuntiabat, tum qualis Interpres quem ſatis Barbarum & litteræ admodum inhærentem, ex ipſo contextu colligebat; ac denique quinam hanc Epiſtolam veterum benè multi memorarint, ex quibus etiam contextum Græcum Epiſtolæ ad verſionis Latinæ oram, aut potius illius fragmenta aliquot retulerat.

Verùm ut monui, tum præfationem tum ipſam Epiſtolam ſupprimere, lacunâ tamen immani, quæ ad fraudis cubilia manuducere poſſit, relictâ, ſuaſore imprimis Domino Faure, coactus eſt. An iſti ſuppreſſioni bonum factum adſcribi queat, tui eſt & ſimilium eruditorum hominum judicare. Cenſuerunt quidem boni iſti Cenſores non ſine ſuorum

rum ſcandalo Epiſtolam in lucem publicam poſſe emitti, idque à viro inter ſuæ Communionis eruditos admodum celebri, viro vitæ integerrimæ fideique probatiſſimæ. Cenſuerunt Perronii ſui, ex cujus ore plerique pendent, inſignem temeritatem ſtatim agnoſcendam ab omnibus, ubi primùm Petri Martyris bona fides à calumniis Perronii eſſet liberata.

At enim an ſic ſuæ cauſæ benè conſultum iverint omninò dubito.

Primùm enim, dum eo modo quæ ſibi adverſantur ſupprimere ſatagunt, annon omninò patet illos non veritatem, quod probos ingenuoſque viros decuit quærere, ſed victoriam quâcunque demum viâ, quantumcunque iniquâ poſſit contingere? An igitur veritas mendacii armis indiget? Annon verax eſt Eccleſiæ pro veritate defenſio, ut ait Facundus? An Dei cauſæ homines mendaciis patrocinari decorum eſt?

Secundò, hâc ipſa ratione ſolenniter admodum profitentur ſuos, qui hactenus Chryſoſtomum laudarunt, ac ſi illorum fidei conſentanea docuerit, egregios præſtitiſſe ſophiſtas, & malæ fidei diſputatores, quod virum tam palam ſibi contrarium, ad ſuæ cauſæ defenſionem advocaverint? Equidem dum in tam inverecundam fraudem oculos converto, non poſſum quin Gamachæi Sorbonici doctoris ingenuitatem probem, ac exoſculer, qui cùm hanc Epiſtolam poſt Gardinerum tribuat Joanni Eleemoſynario, illum excuſandum eſſe pronuntiat, quod Tranſubſtantiatio ejus temporibus non

non ita perſpicuè tradita & explicata fuerat ſicut hodie. Hæc nuperos malè habet confeſſio qui Chryſoſtomum ex aſſe ſuum eſſe clamitant. Verùm vel eo ſe Gamachæo quoad bonam fidem longè eſſe inferiores, penituſque frontem excuſſiſſe demonſtrant.

Tertiò, annon hâc cautione ſuæ cauſæ forſan incommodant? Quis enim eorum novit an intra aliquot annos inter ſuæ Communionis homines quiſpiam reperiendus ſit vir eruditus & probus, qui Joannem Chryſoſtomum circa Euchariſtiæ fidem erraſſe & nobiſcum ſenſiſſe aſſerat? Certè ſuperiori ſæculo cùm Theodoreti Dialogi ederentur Romæ, appoſuerat quis ad marginem locis aliquot, quæ funditus realem præſentiam evertunt, moveri non debere Catholicos Lectores, ut quæ ſic concipi poſſent abſque damno, antequam tranſubſtantiationis fides ab Eccleſia fuiſſet ſancita. Id Gregorius de Valentia adhibuit, breve, ut loquitur, ſimplex at ſine ullo incommodo reſponſum, *Enimverò*, inquit, *antequam quæſtio iſta de tranſubſtantiatione in Eccleſiâ palam agitaretur, minimè mirùm eſt ſi unus aut alter aut etiam aliqui ex veteribus minus conſideratè & rectè hâc de re ſenſerint & ſcripſerint.* Id ille ad Theodoreti loca ipſi objecta reſpondens. Pugnarunt poſtea varii Theodoretum Eccleſiæ Romanæ placitis nil habere adverſum. Inſudarunt in illo labore diſputatores plurimi, Perronius imprimis; Verùm tandem repertus eſt, vir inſignis Joannes Garnerius ex Ignatii Loyolæ ſociis, qui tum Theodoretum Neſtorianum fuiſſe cùm

hos

hos Dialogos ſcriberet, tum Neſtorium in Euchariſtiæ negotio erraſſe, & à fide Tranſubſtantiationis alienum pugnet. Sic nimirùm illi Scholaſticorum artem, verè patriſſantes, imitantur, quibus ſolenne fuit, ut aiebat Thomas Morus, luto operosè parvas caſas extruere, & eaſdem non minori cum delectatione demoliri. Quid ſi igitur ipſemet Garnerius Chryſoſtomum erroris in eâdem cauſâ arguat? Omninò enim quæ tanquam aliena à Pontificiorum fide in Chryſoſtomi Epiſtolâ ad Cæſarium leguntur, ea ob oculos habuiſſe videtur Theodoretus in Dialogis; nec ab eo multum abit Petrus de Marcâ in Diſſertatione de Euchariſtiâ Gallicè ſcriptâ, quam etiam ante duodecim annos à Fageto editam, ſupprimere omni ſtudio laborarunt ipſi Pariſienſes Theologi, ſed quæ tandem, Deo annuente, in lucem edita eſt. Quid hâc fraude vicerint Antonius Faure & illius Socii? Fraudem talem nullo fructu concinnaſſe à viris ſuæmet Communionis cenſebuntur meritó. Quod quàm turpe ſit atque indecorum fraudium artifices ipſimet norunt ac profitentur. Verùm tam eſt hæc gens adulterandis, corrumpendis, truncandis, id autem illis expurgare dicitur, veterum & juniorum ſcriptis aſſueta, ut quos toties malos experti ſumus, in eodem genere adhuc malos eſſe immeritò ſimus demiraturi. Faxit Deus ut qui ſe bonam cauſam defendere profitentur, eos tandem pudeat aliquando piarum ejuſmodi, ut loqui amant, fraudium ope illam tutari. His enim ut notum eſt Religionis

gionis veritas non adſtruitur ſed deſtruitur. In hoc voto lubet deſinere. Vale vir Clar. & reſponſionis moram excuſa. Dabam Pariſiis Idibus Martiis, An. 1680.

S. ANA-

S. ANASTASII

Presbyteri & Monachi

S. MONTIS SINAI,

ET

Archiepiſcopi Antiocheni

In Spiritualem

Anagogen Hexaemeræ Creationis.

ΤΟΥ

ΑΓΙΟΥ ΑΝΑΣΤΑΣΙΟΥ

Πρεσβυτέρου & Μοναχοῦ

Τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ, καὶ ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας

Εἰς τὸ

Ἑξαήμερον χίλιοι.

ΤΟΥ
ΔΙΟΥ ΑΝΑΣΤΑΣΙΟΥ

ΤΟΥ
ΑΥΤΟΥ ΑΚΟΛΟΥΘΩΣ
Λόγος Δωδέκατος.

Ejuſdem Conſequenter,
Sermo Duodecimus.

"Καὶ ἐποίησεν Κύριος ὁ
"Θεὸς τῷ Ἀδὰμ καὶ τῇ
"γυναικὶ αὐτοῦ χιτῶνας δερματι-
"νους· καὶ ἐνέδυσεν αὐτούς. Καὶ
τίνοι ἦσαν χιτῶνες, ἢ χιτῶ-
νες εἶπε μοι, οἱ ἀπὸ ἀθανάτ-
των καὶ θείων χειρῶν τοῦ σφη-
νοποιήσαντος Θεοῦ, ἀντὶ νυμ-
φίου καὶ νύμφης ἐνδυόμενοι, ἢ κα-
θιζόμενοι, καὶ κοσμούμενοι, καὶ
οἷονεὶ νυμφοστολούμενοι; ὅτι γὰρ
βασιλικὸς φιλοτιμία, οὐδὲ εἷς ἄρχων
ἁπλῶς κοσμῆσαι τοὺς ὅλους
ἀναγκαίοις ἐσθῆσι ἀπὸ ἰδίας χει-
ὸς ἐνδύσαι τὸ πᾶν· ἀλλ' ὅτι μᾶ-
λον ἐξδῦσαι, καὶ κοσμῆσαι, καὶ γυμνοὺς ἀφα-
νισθέντας ἀναμβάσαι, καὶ ἐν
ἀρχῇ καλλωπίσαι· οὐκοῦν ἐ
κεῖνο ἡμῖν βούλονται καὶ οἱ χιτῶ-
νες οἱ, οἱ λεγόμενοι δερμάτινοι,
χωρίον ἀναφαίνειν; ὁ γὰρ
ἀπὸ Θεοῦ ἐνδυόμενος καὶ σκεπό-
μενος, "ἐν σκέπῃ τοῦ Θεοῦ τοῦ
"ὑψίστου ἀναπαήσεται, λέγει ἡ
"γραφή. Ἐκεῖνο δὲ ἐν-
θάδε ἡμᾶς χρὴ μνημο-
νεῦσαι τρόπον· πῶς βραχέως κά-
φορα καὶ παρηλλαγμένα παῖς
ὢν ὁ Θεὸς ἴδιος ἑκάστου
τῷ νομιζομένῳ ἐπιτήμια δί-

FEcit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. Gen. iii. 21.
Quinam vero judicati illi & condemnati, die quæſo, qui ab immortalibus manibus Omnipotentis Dei, inſtar nupti nuptæque induti, deducti, ornati ad novas veluti nuptias comparantur? Neque enim mortalis ullus Rex, neque humilis Princeps propriis ſuis manibus hoſtes ſuos ornabit vel ornandos aliis trader. Imo potius exutos eos & ſupplici affectos & nudos currui religatos traducens triumphatos in carcerem detrudet. Nonne igitur myſterium nobis aliquod ſubſignificare videntur tunicæ illæ pelliceæ? Quicumque enim à Deo induitur & tegitur *in protectione Dei cæli commorabitur*. Pſal. xc. 1.
Nedum judicio obnoxius poſſit inveniri. Illud autem hic nobis attendendum eſt, quomodo brevi duobus illis Deus diverſam, ſuam cuique legitimè mulctam partitus, ſtatim æqualem illis & ſimi-

lem, ejusdemque pretii vestitum concessit, quasi in unam animam conspirantibus quibusdam & in unum jugum. Neque enim consona est illa connexio, siquidem par illud divisum est per accusationem Adæ objectam a Deo, quod audivisset vocem uxoris. Nefas autem fuit eam illi rursus conjungere quæ ipsi auctor & causa fuerat maledictionis & mortis. Neque verò maledicti sunt majores nostri, ut quidam putant, quippe illi non post, sed ante maledictionem, a Deo vestitum illum acceperunt, pelliceas tunicas. Non quod Deus illos & absq; tunicis vitæ indurare non posset, ut & Angelos & omnia reliqua animantia. Sed quod eo docere nos vellet fore ut per peccatum exuti & nudati, in ultimis ac postremis aliquando temporibus à Deo ipso vestirentur & tegerentur; quemadmodum & perditus ille filius & nequam in conversione suâ primam & regiam stolam indutus est. Simul etiam per vestitum illum ex pellibus humana præsignificabatur Oeconomia Christi; verbum enim *caro factus est & habitavit* in mortali nostrâ pelliceâ naturâ; quam adumbravit tabernaculum

πρὸ αὐτοῦ ὁμοίαν, ἓν ἴσην, ἓν ὁμότιμον τοῖς δυσὶν σκέπην ἐχαρίζατο, ὡς ὁμοψύχοις πως ἓν ὁμοζύγοις τυγχάνουσιν· ἡ γὰρ συμφωνεῖ αὐτῇ ἡ σωτηρία· ἓν ἡ μὲν δυὰς ἐκείνη ἐτιμήθη τῇ ἐγκλήσει τοῦ Ἀδὰμ, προηθείσῃ αὐτοῦ ὑπὸ θεοῦ, ὡς ἀκούσαντος τῆς γυναικὸς· ἡ γὰρ ἦν ἄτιμον πάλιν σωτηρίαν αὐτοῦ ζητῶ· εἰκὸς δὲ ἄψυχος αὐτοῦ γενέσθαι ἓν προέξενον θανάτου ἓν καθάρας. οὐ τοίνυν καθὰ ἔνιοί φασιν, ὅτι καθαίρεσιν ἐνόμισαν οἱ προπάτορες. ἐπεὶ οὐκ ἂν μὴ πρὸ τούτου, ἀλλὰ μετὰ τοιαύτης σκέπης ἀπήλαυον τῆς θεοῦ, τῆς δερματίνων χιτώνων. οὐχ ὅτι δὲ ἀδύνατον εἶχεν ὁ θεὸς ἓν χωρὶς χιτώνων πρὸς ζωὴν ἀθανασίαν αὐτοῖς χαρίσασθαι, ὡς καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἓν τοῖς λοιποῖς ἐμψύχοις ζώοις. ἀλλὰ δηλῶσαι θέλων τοῦτο διὰ τοιούτου ὑποδείγματος, ὅτι γυμνωθέντος διὰ τὴν ἁμαρτίαν ὁ ἐσχάτοις ποτὲ ἓν ὑστέροις καιροῖς ἐνδυθήσονται ἓν σκεπασθήσονται ὑπὸ θεοῦ, ὥσπερ δὴ καὶ εἶπεν ὁ ἀπόστολος· υἱὸς ὢν τῇ ὑπερβολῇ τῆς βασιλικῆς στολῆς περιεβάλετο. ὁμοίως διὰ τοιαύτης τῆς κτηνογλύφων δερμάτων ἐνδύσεως, ἓν ἡ ἐνσαρκος οἰκονομία τοῦ χριστοῦ προδιετυπώθη. "ὁ γὰρ λόγος "σὰρξ ἐγένετο ἓν ἐσκήνωσεν ἐν "τῇ ἐντίμῳ δερματίνῃ ἡμῶν φύσει, λέγω ἓν προδιέγραφε ἓν ἡ σκηνὴ τοῦ Ἀβραὰμ, ἐν ᾗ ἐπῆλθε ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ πάντα χειροποιήτου χριστοῦ,

lum

μὴ λῦ πάλιν σκηνὴν ὁ ἡ τοῦ μαρτυρίου σκηνὴ δ' ὑπέρα ἴσα, τὴν σκηνωμαλοφόρον ταύτην Εὔαν γυναῖκα Χριστοῦ τοῦ Ἀδὰμ, ἐκκλησίαν ἐσημάνε, ὁ τὴν λεγομένην ζωὴν, τὴν μητέρα τῆς ζωῆς, ζωοφόρον σκηνὴν τῆς ἀκηράτου φύσεως ἡ Θεοτόκον ὁ Θεοδόχον ὁ Θεοφόρον. ἀλλ' ἂν τὸ καθ' ἡμᾶς παρθένον ὁ ἀειπάρθενον Μαρίαν προδιέγραφεν, ἐν ᾗ ὥσπερ ἐνὶ σκηνῇ λογικῇ ἀμιγοπάρκτῳ συνδρομῇ ὁ συνόδῳ ἀκηρεάτῳ διδυμοφυῶς συνεπλάκη, ὁ συνεπλάδη καθ' ὑπόστασιν, ἀλλ' ὁ περιεπλάδη ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος τὴν σκηνώδημον φύσιν. ἐννόησον γὰρ μοι ὅτι οἷος ὁ νῦν ἀμιγόπαρκτος ὁ ἀμφιχυμὴς σύνδετος ἑρμαπτόφορος γηγενὴς Ἀδὰμ, γυμνὸς τὸ πρὶν, ἁπλοῦς ὁ πρώτως ἁμιγὴς, ὁ ἀσύνδετος ἐκ λιτοῦ ἀγνώστου ὁ ἀκραιφνῶς ὁ ἀσημάντου τόπου ἐπεδήμησεν, ἐν ᾧ πεποίηκεν ὁ Θεὸς ἁγιοπνεύματος ἀγίου ἀϋλουργικῶς, ἀλλ' ὁ προσαρτικῶς ὁ ἄῤῥαφον τοῦτον χιτῶνα. ἐν ἐδήλου κἀκεῖνος ὁ χιτὼν ὁ ποικίλος ὃν ἐπεκτήσατο τοῦ Ἰωσὴφ ὁ πατριάρχης Ἰσραὴλ. ὅθεν ὁ ἐπανιόντος ὅθεν ἐξήλθε τούτου τοῦ σωτηρίου σκηνοφόρου Θεοῦ ἐν ἀμιγοπάρκτῳ κρυπτομένου φύσει· ὁ ἀφορῶσα πρὸς τὸ καταπεπτασμα τῆς Σαρκὸς αὐτοῦ, ἣ συγχρῆται αὐτῷ ἐρημοπολίτιδες δυνάμεις, θαύμασι θείῳ ληφθεῖσα τῇ καταπλήξει ἔλεγον. τίς ἐστιν ὁ προερχόμενος ἐξ

lum Abrahæ, ubi natus eſt Iſaac, riſus, quaſi typus Chriſti omnia gaudio colluſtrantis, a quo tentorio tabernaculum teſtimonii ſecundum exiſtens tabernaculiferam illam Evam Chriſti Adæ mulierem Eccleſiam ſignificavit, eamq; deſignavit, quæ Vita dicitur, matrem vitæ, ſalutare tabernaculum immortalis naturæ, Deiparam illam, Dei hoſpitam, Dei nutricem, ſed quod ad homines, ſemper Virginem Mariam. Intra quam veluti intra tabernaculum quoddam rationale, per ſe exiſtenti concurſu & congreſſu incorrupto, verbum Dei dupliciter complicatum & connexum eſt per hypoſtaſin, neque adhæſit tabernaculo illi naturali. Attende enim quod ſolus ille per ſe exiſtens nunc, duplex, & compoſitus, pellibus amictus Adam, antea nudus, ſimplex, omninò incommiſtus, & inconjunctus. Ex ignoto quodam, incomprehenſibli & indiſtincto loco migravit, ubi Deus illi per Spiritum Sanctum, non aliena, ſed propria ſua opera inconſutilem illam tunicam fecit, quam ſignificabat tunica illa polymita quâ Joſephum ſuum induit Patriarcha Iſrael. Quare illuc unde venerat cum rediret compoſitus ille Deus Tabernaculifer

huma-

humanæ naturæ abditus, ad velum carnis ejus reſpicientes ſodales ejus & cœli cives poteſtates, horrore divino correptæ, præ metu exclamârunt, *Quis eſt iſte qui venit de Edom; rubeis veſtibus de Boſra!* Idem & de Adâ illo terrigenâ. *Edom* quidem exponitur *Paradiſus*, & voluptas ſanguinea, *rufa*; *Boſra* vero *caro*: ex ſanguine autem & carne confecta eſt pellicea illa rubea tunica; quam iterum cum alii quidam in cœlum aſcendentem videreut compoſitam, divinam divinitatis conſortem, Euohe Chriſto dicentes, *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus.* Patet enim illum ipſum qui pelliceam illam tunicam induit, intus celare rationalem ſuam & immortalem naturam, mortalemque tantùm oſtendere. Igitur Chriſtus Adam in his planè cognoſcitur & Deus & Homo, ejus vero uxor Eccleſia, quippe quæ ipſum induerit, compoſita dicitur. *Quicumque enim in Chriſto baptiſati ſumus, Chriſtum induimus conformes ipſi facti. Et ait Dominus Deus: Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum.* Cur vero dic mihi

Eſai.lxiii.1.

Gal.iii.27.

Gen.iii.22.

" Εδωμ, ἐρύθημα ἱμάτιον αὐτῦ
" ὁκ Βοσῤῥᾶ; τοῦτον τὸ Χ͞ν Θ͞ν
" Ἀδὰμ καὶ γυναῖκα. Εδωμ μὲν
οὖν ἐξερυθριᾶται πρόσωπος τὸ
πρωτὸν αἱματώδης. Βοσῤῥᾶ δὲ σαρξ,
ἐξ αἵματος. ἡ δὲ σαρκὸς σωτὴρ
ἐκεῖνος. ὁ δερματίνος τυρίζων
χιτῶνα, ὃν πάλιν οἱ ἄνθρωποι λινοῦν
ὀφῶντες εἰς οὐρανὸν ἀνερχόμενον,
συνδούλον, καὶ ἔνδοξον, καὶ ὁμόθεον
" αὐτῶ Χριστῶ λέγοντες, ἵνα τί
" σου τὰ ἱμάτια ἐρυθρὰ, καὶ τὰ ἐν-
" δύματά σου ὡς ἀπὸ πατητῦ λη-
" νῦ; πλήρης καὶ πατητὸς τυγχάνεις.
ὁ δὲ δερματίνον ἐνδυόμενος
χιτῶνα, ἔνθεον ὡς κρυπτὸν μὲν
ἔνδον ἔχει τὸν λογικὸν καὶ ἀθάνα-
τον φύσιν, ὁρᾶσθαι δὲ τὸν θνη-
τόν. ὁ μὲν τοῦ Χριστὸς Ἀδὰμ, ὡς
Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ὃν τούτοις
γνωρίζει· ἡ δὲ σύζυγος αὐτῦ
ἐκκλησία, ὡς αὐτὸν ἐνδυσαμένη,
συνδοῦλος λέγεται. ὅτοι γὰρ εἰς
Χριστὸν βαπτισθέντες Χριστὸν
ἐνεδυσάμεθα. σύμμορφοι αὐτῦ
γεγόμφιοι. " Καὶ εἶπε Κύριος
" ὁ Θεός· ἰδοὺ γέγονεν Ἀδὰμ,
" ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, τῦ γινώσκειν
" καλὸν καὶ πονηρόν. Καὶ ἵνα τί
λαλῶ, εἶπε μοι, τῷ αὐτῷ,
ἵνικα ἐκάλεσεν αὐτὸν μὴ τοῦ
βοῶσιν κρυπτόμενον, ὁ Θεὸς εἶ-
πεν αὐτῷ τούτῳ τῷ φωνῇ,
εἰπὲ, ὡς νομίζει ὁ Ἰουδαῖος ἀνει-
δισμὸν ὄζει, καὶ ὑβρισμὸν; εἰ γὰρ
ἐμπαίζων αὐτῷ ὁ Θεὸς τοῦτο ἐ-
ρρησεν, ἢ ἐξελέγχων, ἐχρῆν μᾶλλον
αὐτὸν ἐν τῇ ὁπλισμῷ τῇ περὶ
αὐτὸν τοῦτο πρὸ πάντων εἰπεῖν,

εἰδὼ

ἐδὸ ὅπως τὴν ἀπόφασιν ὑπο-
δέξηται. μὴ γὰρ τὴν φιλόστοργον
ἐκείνην ⁊ οἰονεὶ παρεκλυὴ ⁊
συμφοτολικλυὴ τῆς χειτώνων
περιβολλυὴ ⁊ ἔνδυσιν. σὺν εἴχεν
ὅλως χώραν ἢ λέγειν τὸ εἰπεῖν
ὁκ ἐξκαλεῖν ὁ θεὸς τῷ Ἀδὰμ,
τοῦτο εἶπεν πρὸς αὐτὸν· ἀλλὰ
ποιήσας ἀφὴ τῶ χειτῶνος συνθε-
τὸν ⁊ περίλυ ἀσυνθετον. ⁊
χρύψας ὃν ὑπὸ τῆ φύσι ⁊ πρὸν
ἀκρυπτον ἀπεφηνεν· ⁊ ἐνώσας
αὐτῷ τὴν ξένλυ ⁊ ἀλλοφυῆ αὐτῷ
φύσιν. ⁊ ὡσπέρ τινα στολὴν ⁊
τύπον ἢ εἰκόνα τῆ ἑνὸς ⁊ τελά-
δος καταστολιάσας ⁊ διαγεά-
ψας αὐτὸν, τοῦτο χάριν πρὸς
αὐτὸν ἀπεβλέπων, ⁊ οἰονεὶ δεικ-
τικῶς ⁊ δῆλον ὁκεῖνον ὁλόκλυλον ἔφασκεν. Ἰδὺ Ἀδὰμ γέ-
γονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν τῆς τελείων
⁊ ἀτόπτου. καταστάσεων, τοῦτ'
ἔστιν ὡς ὁ ὑστεροις καιροῖς, ⁊ ἐπ'
ἐσχάτων τῶν αἰώνων συνήσει) ὁ
⁊ τελάδος εἷς ὑὸς ⁊ λόγος τῆ πα-
τρὸς. συνθετος. Θεὸς ὁμοῦ τι ⁊ ἀν-
θρωπος γεγονώς. Ὁμοῦ τι δὴ
⁊ τοιαύτης φωνῆς σύναρσελίζεται
⁊ τῷ Ἀδὰμ ὁ Θεὸς ὅτι τὸν γεγο-
νότα ὡς εἷς ⁊ τελάδος ἐνόμιζε.
δι' αὐτὸ τῆ ἀτοπίᾳ, ⁊ ὃν τῷ
δεξίῳ τῷ χερουβικῷ συνθρονον.

quando Deus vocavit illum abſcondentem ſe poſt manducationem, cur inquam ſtatim ad eum vocem iſtam locutus non eſt, ſiquidem ut putant Judæi, exprobratoria eſt & non myſtica! ſi enim illudens vel accuſans illud ei dixit Deus, ante omnia in objurgatione illud ei à Deo objici decuit, & ita porro ſententiam ſubjungi: quippe poſt primum illum, & quaſi paternum & nuptialem tunicarum amictum prorſus alienum fuit dicere ita Deum locutum fuiſſe ut eum accuſaret. Verum cùm per tunicam illam *compoſitum* feciſſet qui prius erat incompoſitus, & in natura mortali celaſſet eum qui prius erat homo inoccultus, cumque illi externam & alienam adunaſſet naturam ſuam, eumque quaſi ſignum quoddam, typum & imaginem unius ex trinitate concinnaſſet, & delineaſſet, ideo ad illum reſpiciens & veluti divinum digitum ad eum intendens dixit, Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, unus ex tribus Divinitatis perſonis: id eſt, in poſtremis temporibus & *ultimis uſque ſeculis* fiet quaſi unus Trinitatis, filius & verbum Patris. Compoſitus, Deus & idem Homo factus. Simul & per eam vocem Adæ nuntiat Deus factum eſſe eum quaſi unum trinitatis, trinitati adunatum, participem throni Cherubici, ſedentem ad dexteram magni-

nificentiæ, ab omni principatu, & poteſtate adoratum & glorificatum. Siquis autem contra contendat dicens propter fallaciam Serpentis quâ dixit eis, eritis quaſi Dei ſcientes bonum & malum, ideo illud Adæ obductum à Deo & objectum fuiſſe, reſpondebimus quidem primò Serpentem dixiſſe, *eritis quaſi Dei ſcientes omnia*, ſic multos Deos inducentem. Tum etiam illud adjiciemus nempe Adam cum Serpente non eſſe collocutum, imo neque eum vidiſſe, neque ad eum acceſſiſſe, ut neque ad arborem inobedientiæ, ſed mulierem ſolam. Quare ſi ita ei verba Serpentis exprobrare voluit Deus, & eum prorſus ejicere, mulierem potius oportuit ejici. Hic verò attende quæſo, eum multo & divino quodam judicio & indagatione ſcilicet poſt amictum illum tunicæ, Deum nunquam alias mulieris meminiſſe, ſed omnia deinceps de uno tantùm homine dixiſſe, ait enim *ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis ſciens malum & bonum*, quaſi diceret, ecce *quem delineavimus typum quemdam & figuram ſecundi Adæ Chriſti. Nunc verò nondum tempus eſt ut mittat manum ſuam & ſumat & particeps fiat ligni vitæ*, quæ eſt Deus. Moratur enim

ἀνερχόμενον, ἐν ὃν δεξιᾷ τῆ μεγαλοσύνης κεκτημένον, ἐν ὑπὸ πάσης ἀρχῆς ἐν ἐξουσίας προσκυνούμενον ἐν δοξολογούμενον. προῆς ἢ ἀπλήστως ἐν φάσκοντα ὅτι τῷ Ἀδὰμ ἡ ἀπάτιν τῆ ἄφεν. ἡ ἀντιζόμεν ὅτι ἔσεσθε ὡς θεοὶ γινώσκοντες καλὸν ἐν πονηρὸν δηλ πάντων· ἐν ἐπάνω ἐκείνων ὁ θεὸς ἔφη, προῆς ἢ Ἀδὰμ φησὶν, ἐρεῖν, πρῶτον μὲ ὅτι ὁ ὄφις, ἔσεσθε ὡς θεοὶ, εἶπε, γινώσκοντες ἀπάτην. πολλοὺς θεοὺς, ἐν πολυθεΐαν διδάσκων· πλὴν ὅλο ὅτι ἐλάλησεν ὁ Ἀδὰμ τῷ ὄφει, ὅτι ἑώρακεν αὐτὸν, ὅτι ἐπλησίασεν, οὔτε αὐτῷ, ὅτι ἢ τῷ ἀνδρὶ ἡ προσῆλθεν· ἀλλὰ μόνη γυνή· ἐν εἶτα ὠνείδισεν τοῖς ῥήμασιν τῷ ὄφεν. ἐν πάντως ἐξοφείσαι ἐχρεῶν, ἡ γυναῖκα μᾶλλον ὤφειλεν ὁ θεὸς ἐξῶσαι. ἐκλαῦσαι ἢ δύσηνον μὲ πολλῆς πιὸς ἐν θείας ἡ διακρίσεως ὅτι πρὸ μὲ ἢ ἐνδυσιν πάντα τῷ χιτῶνος. φεῦ ἴλε μνείαν ἐκεῖνα πώποτε ἡ γυναικὸς μὲ τῷ Ἀδὰμ, ὁ θεὸς, ἀλλ' ἐῶν πάντα τοῖς τῷ πρωτοπλάστου λέγειν· φησὶ γὰρ, ἰδοὺ Ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν ἢ γινώσκειν καλὸν ἐν πονηρόν· νῦν ἵνα ἔπηξ, ἰδοὺ ἐν ἐπιλαγεφήλαμεν τυπικὸν ἐκεῖνα προφητεύον τῷ δευτέρου Ἀδὰμ Χριστοῦ. ἐν νῦν ὕπω καιρὸς ἵνα ἐκτείνῃ ἡ χεῖρα ἐν λάβῃ ἐν συμμεταλάχῃ τῷ ξύλου ἡ ζωῆς, ἥτις ἐστὶν ὁ Θεὸς,

μάλλει γὰρ εἰσέτι ἡ ἄρρητος σάρκωσις, καὶ φάγῃ, τοῦτ' ἔστιν ὃν τοῖς οὖσιν ἑαυτῷ τοῦτον κρύψῃ, καὶ ζήσῃ) ἵνα ὁ φαγὼν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀεὶ ζῷ· γάρ ἐστιν ὁ βιβρωσκόμενος· καὶ μεθυπτικῆς ἀθανάτου ὁ δῶτης ζωῆς. ὅθεν καὶ συζεύξαντες λείπομεν ἀπόδοσιν ὑπισχνούμενοι τῷ ῥήματι· οἱ ἑρμηνευταὶ καὶ οἱ τὰ ἑξαπλᾶ συνταξάμενοι καὶ λοιπὸν ἀρχὰς ψυχῶν ὡς τῷ κεφαλαίῳ ὄντες ἀναχωρεῖν, ἀπήρξαντο λέγοντες. "Καὶ ἐξαπέ-"στειλεν αὐτὸν, τοῦτ' ἔστιν ὁ "Κύριος ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ "παραδείσου τὸ γεωργεῖν ἐργάζεσθαι "τὴν γῆν ἐξ ἧς ἐλήφθη. οἶδα ὅτι πολλοῖς βεβιασμένον φαίνεται τῷ ἀκροατῇ τὸ νόημα τῶν εἰρημένων. δεῖ γὰρ ἀναλαβεῖν πάλιν αὖθις. δοκοῦσί τινες ἐνταῦθα ἐξ ὧν εἰσὶ καὶ Ἰουδαῖοι καὶ Σαμαρεῖται ὅτι τοῦτον ὃν νῦν ἔχουσι τὸ τοῦ Θεοῦ ῥήματα· διὸ καὶ Ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, ὡς ἐνόμιζον τῶν θηρίων ἀποστάντων, τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν. καὶ νῦν μήποτε, ἐκτείνῃ πάλιν χεῖρα καὶ λάβῃ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς καὶ φάγῃ, καὶ ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. ἐξαποστέλλωμεν αὐτὸν ἐκ τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς· ὥστε οἱ πολλοὶ τῶν ἀσθενούντων νοοῦσιν. ἀλλ' ὁ κεῖ) ὥστε τὸ νόημα. τὸ δὲ ποιῶν αὐτὸ τὸ σκολιὸν καὶ ἀσαφὲς, ὀκεῖνο ἔστιν, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, καὶ νῦν ὅπως χεὶρ ἐκτείνας φάγῃ τοῦ ξύλου, ἐνταῦθα ὁ συγγραφεὺς, τὸ καὶ νῦν μήποτε, *de ligno*, dicit ſcriptor, *nunc* enim adhuc ineffabilis incarnatio, & *manducet* id eſt intra ſe condat, & manducans *vivat in æternum.* Eſt enim ſemper vivus qui manducat eum, neque indiget vita immortali, cujus particeps ſit, unde hic integrum & abſolutum ſenſum interpretes fecere & qui Hexapla digeſſere, reliqua verſiculi principium exorſi, quaſi capitulum cum ſuperiori minimè conjungatur hoc modo. *Et emiſit eum* (nempe Adam) *Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de quâ ſumptus eſt.* Scio quæ à nobis dicta ſunt, ea videri Auditoribus difficilia & violenta, quare iterum reſumenda ſunt. Quidam hic putant, in iis Judæi & Samaritæ, ita ſonare verba Dei. *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*, id eſt, *ex tribus trinitatis perſonis, ſciens bonum & malum. Nunc igitur ne mittat manum ſuam & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat & vivat in æternum, emittamus eum de paradiſo voluptatis.* Et ita quidem multi accipiunt. Neque tamen hic vere ſenſus eſt. Inde autem totius loci difficultas nata eſt, quod pro *nunc ergo nondum tempus eſt, ut comedat ergo ne comedat*, &c. Niſi Joan vi. 51. Gen. iii. 23.

enim ita eſſet, ut ego dixi, omnino non ejiciendus fuit Adam ſed ipſa mulier quæ manum miſit, quæ confidenter accepit, quæ comedit prior, deditque viro ſuo. Quin potius ejiciendus fuit ſerpens malorum omnium origo & fons. Hic autem contra eveniſſe manifeſtum eſt, ubi non *rei illi duo* ſed inſons tantùm ejicitur. Neque vero deceptus eſt Adam. *nunquam enim* illud de Chriſto impeccabili deſinam occentare. Igitur ſi non deceptus eſt, neque etiam dejectus fuit. *Non enim* exilium ejus ſed emiſſio deſcribitur. Quippe *emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt.* Emiſſus enim Dominus ſecundum voluntatem paternam quaſi ex Paradiſo paterni ſinus in noſtram hanc terram cruciatibus plenam, ut operaretur ſalutem noſtram dicens *Pater meus operatur & ego operor*, & nos cuſtodiret ne *obediremus* ſtimulis peccati & incredulitatis, *Ejecitque Adam & collocavit ante Paradiſum voluptatis & ſtatuit Cherubim & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Audi quæſo, ecce exivit ſolus homo qui in-

Gen. iii. 24.

εἰ ἦ μὴ ταῦτα ὕπως ἔχει ὡς ἔφην, οὐκ ἐκβλητέον ὅλως ἐξορισθῆναι τὸν Ἀδὰμ, ἀλλ' αὐτὴν γυναῖκα, ἣ ἐκτείνασθαι, καὶ ἀποτολμῆσασθαι, καὶ λαβεῖν, καὶ τῷ ἀνδρὶ φαγεῖν, καὶ τῷ ἀνδρὶ μεταδοῦναι, μᾶλλον ἦν ἐκβλητὴν ἐχρῆν περὶ ταύτης τὸν αἴτιον πάντων τῆς κακίας ὄφιν. ἐνταῦθα τοίνυν τὸ ἀνάπαλιν ἐφάνη γινόμενον, τὼ δύο αἰτίω ἢ ἀμαρτίας μὴ ἐξορισμένων· τὸ δὲ ἀναίτιον ἐκβαλλόμενον. ὁ Ἀδὰμ γὰρ οὐκ ἠπατήθη. ἡ γὰρ πείσασα τῆσδε τῆς φωνῆς ἦρξε τῆ δυσμοιρήτῳ ταύτῃ κηρύττειν. εἰ δὲ οὐκ ἠπατήθη, οὐδὲ ἐξορίσθη· ἡ γὰρ ἠγάπησε, * ἐξορίᾳ, ἀλλ' ἐξαποστολή. ἐξαπέσταλε γὰρ φησὶ κύριος ὁ θεὸς ὁ Ἀδὰμ ἐκ τῆς παραδείσου τῆς τρυφῆς, ἐργάζεσθαι πάλιν τὴν γῆν ἐξ ἧς εἰλήφθη· ἐξαπεστάλη γὰρ ὁ κύριος. ἐγὼ βούλομαι παρεφέμενος ὡς ἀπὸ παραδείσου τῆς κόλπων τοῦ πατρὸς εἰς τὴν ἡμετέραν γῆν τὴν ἐπώδυνον ἐργάζεσθαι τὴν ἡμῶν σωτηρίαν, λέγων, ‘ὁ πατήρ μου ἐργάζεται κἀγὼ ἐργάζομαι, καὶ φυλάττειν ἡμᾶς μηκέτι ἐμπροσθεν τῷ κέντρῳ τῆς ἁμαρτίας καὶ ἀπιστίας. ‘Καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδὰμ, καὶ κατῴκισεν ‘αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς ‘τρυφῆς· καὶ ἔταξε τὸ χερουβὶμ ‘καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν ‘στρεφομένην, φυλάττειν τὴν ὁ‘δὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς. ἄκουσον παρακαλῶ· ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ ἄνθρωπος μόνος. ὁ δὲ ἔξωθεν εἰσελθών.

δών. ἔστω τοῦ ὁ ὄφις; τοῦ ἡ γυνή; τοῦ τὰ θηρία; οὐ γὰρ ἐξῆλθον καὶν μυρία φιλονεικήσῃ ὁ Ἰουδαῖος, καὶ ὁ Σαμαρείτης· σὺν ἐξῆλθεν αὐτὸ ἡ γυνὴ ἡ λεγομένη ζωὴ, ἀλλ' ἔσω ἔζη ζωοποιοῦσα καὶ θρεμμοῦσα καὶ τρέφουσα τὰ θηρία, σὺν ἐξεβλήθη οὐδὲ ἐκβαίνεται ποτέ. ἐξεβλήθη γὰρ ἡ παιδίσκη σὺ συναγωγὴ, ἵνα ἡ ἀληθὴς ἐλευθερία μείνῃ ἔσω· οὐ γὰρ κληρονομήσῃ ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας, καὶ ὅπως καὶ τῇ πίστει καὶ τῷ Ἰουδαίῳ βεβαιώσω καὶ λόγον. ἐξ ἑτέρων γυναικῶν τούτοις δείξω· εἰς σὺν ἐξῆλθεν αὐτὸ ἡ γυνή. εἰσῆλθε ποτὲ Νῶε εἰς τὴ κιβωτὸν μετὰ τῆς ἰδίας γυναικὸς, καὶ ἐξερχομένου αὐτοῦ ἐξ αὐτῆς γέγραπται καὶ ἡ ἔξοδος τῆς γυναικὸς αὐτοῦ σὺν αὐτῷ. ἐξῆλθε πάλιν Ἀβραὰμ εἰς Μεσοποταμίαν, καὶ συνεξῆλθε καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ σὺν αὐτῷ· ὡσαύτως καὶ ἐξερχομένου αὐτοῦ ἐξ Αἰγύπτου ἡ ἔξοδος Ἀβραὰμ καὶ τῆς Σάρρας συγγέγραπται. ἐξῆλθε ποτὲ Ἰακὼβ ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ Λάβαν, καὶ μνημονεύει ἡ γραφὴ μετὰ πολλῆς τινος τῆς ἀκριβείας σὺν αὐτῷ τὴ ἔξοδον τῆς Ῥαχὴλ καὶ τῆς Λείας. ἐξῆλθε καὶ Μωυσῆς ἐκ Μαδιὰμ καὶ γέγραπται καὶ ἡ ἔξοδος τῆς γυναικὸς αὐτοῦ σὺν αὐτῷ· καὶ ἄλλας δὲ μυρίας συνεξόδους γυναῖκας μετὰ τῶν οἰκείων ἀνδρῶν εὑρήσεις ἐν τῇ γραφῇ. Καὶ πῶς εἰπέ μοι, αὐτὴ μόνη ἡ πρώτη καὶ μόνη ἀρχὴ καὶ ῥίζα καὶ κεφαλὴ καὶ ζωὴ καὶ βασι-

gressus erat. Nunc igitur ubi serpens? ubi mulier? ubi animalia, neque enim exivere, quidquid contra proboſe conentur Judæi & Samaritæ. Non exivit mulier ipsa quæ vita dicitur. Sed ea intus remansit vivificans & nutriens animalia. Non ejecta est, neque exiit unquam sed ejecta est ancilla tua synagoga, ut vera libertas intus maneat. Neque enim filius ancillæ hæres erit cum filio liberæ, atque ut fidelibus & Judæis illud ratum faciam & confirmem, per alias mulieres illis ostendam non ejectam fuisse mulierem. Ingressus est olim in Arcam Noe, cum muliere sua, & cum egrederetur ex ea simul etiam describitur mulieris exitus. Olim in Mesopotamiam exivit Abraham & cum eo mulier ejus; & cum is ex Ægypto egrederetur, legimus etiam mulierem ejus simul egressam. Exivit olim Jacob ex domo Laban: Ibique Divina Scriptura cum multa quadam & exacta diligentia Leæ & Rachelis exitum refert. Exivit olim & Moses è Madiam & describitur mulieris ejus exitus cum eo, adeoque multas alias mulieres cum viris suis egressas in scriptura legere est. Peto igitur cur prima illa sola principium, radix,

radix, caput, vita, regina & mater omnium viventium cum viro ſuo non egreſſa eſt è Paradiſo, ut neque animalia illa & jumenta? quæ Deus ultro ad eum adduxit ut videret quid vocaret ea. Neque enim ſi egreſſa forent, eorum exitum nobis ſcriptura tacuiſſet, ſed potius & quando & quibuſcum egreſſa forent accurate ſcripſiſſet, quemadmodum & eorum ingreſſum deſcripſit. Et quoniam de rebus extraneis & paradoxis nobis inceptus eſt ſermo, per alia itidem ex ſcriptura petita Judæos arguam non exiviſſe animalia illa. Una cum Noe ante diluvium, ſæpius enim illud oggerit ſcriptura, animalia & jumenta ingreſſa ſunt in arcam, ſimulque deſcribitur eorum ingreſſus cum Noe, eorundem etiam numerus accurate poſitus eſt. Sic & exitum jumentorum Abrahæ & jumentorum Lot, præcipueque Jacobi ex Meſopotamia diſceſſum nobis narrat ſcriptura, neque id tantum, ſed & immenſam animalium quæ ex Ægypto exiverunt cum Iſraele multitudinem ponit. At quî fieri potuit, dic quæſo, ut reliquorum iſtorum animalium & jumentorum quæ non juſſu ſed ab ipſis ejus manibus formata ſunt & efficta, in Paradiſum

λιοσα. ὁ μήτηρ πάντων τῶν ζώντων ὅσα ἐ συνεξῆλθε τῷ ἀνδρὶ ὐκ ἐξ ἀδὰμ εἰσίν; ὅτι τὰ θηρία ἐκεῖνα ἐ ζῷα κλίνη ἄνωθεν ὁ θεὸς δι' ἑαυτῦ ἦγε τῷ ἀδὰμ εἰσάγαγῳ, ἰδεῖν ἵν καλέσῃ ἀυτά. εἰ γὰρ ἐξῆλθον, οὐκ ἂν ἐσιωπᾶτο ὁν τῇ θείᾳ γραφῇ ἡ ἔξοδος. ἀυτῶν, ἀλλ' ἄνωθεν διηγήσατο πῶς εἰσῆλθον, ὅτινος μόνον εἰπὼν ἡμῖν καὶ ὁπότε, ἐ μὴ τίνος ἐξῆλθε. ἐ ἐναντίον τῶν ξένων ἐ παραδόξων πραγμάτων ὁ λόγος ὄζιν, ἐξ ἑτέρων τῶν ὂν τῇ γραφῇ ἐγκειμένων ἐλέγχω πάλιν ἐ Ἰουδαίους, ὅτι οὐκ ἐξῆλθον τὰ θηρία τοῦτο. Εἰσῆλθον σὺν τῷ Νῶε, πάλιν λέγει, πρὸ τῦ κατακλυσμοῦ ὂν τῇ κιβωτῷ τὰ θηρία ἐ τὰ κλίνη· ἐ γέγραπται ἐ ἡ ἔξοδος αὐτῶν σὺν αὐτῷ· ἐ ἀριθμὸς ἐτέθη μὴ πολλῆς τῆς ἀκριβείας. ὁμοίως ἐ τὴν ἔξοδον τῶν κλινῶν τῦ Ἀβραὰμ ἐ τῦ Λὼτ· ἐ μάλιστα τὴν τῦ Ἰακὼβ διηγήσατο ἡμῖν ἡ θεία γραφὴ ἐκ Μεσοποταμίας ἡγουμένων. ὐ μόνον δ', ἀλλὰ ἐ τὴν ἄμετρον πληθὺν τῶν ζώων τῶν σὺν τῷ Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου ἐξηλθόντων. καὶ πῶς λοιπόν, εἰπέ μοι, τούτων τῶν θεοπαλῶν θηρίων ἐ ζώων ὐκ ἔστιν ἐφάψασθαι οἷς τὰ λοιπὰ ζῶα ἡμερώτατον, ἀλλ' ἀυτοχείρως ὑπὸ θεῦ κλιδέντων, ἡ μὲ ὂν τῷ ἀδὰμ εἰσῳκίσθη, ἡ δ'

lioseta. ho mētēr pantōn tōn zōntōn hosa ou sunexēlthe tō andri ouk ex adam eisin; hoti ta thēria ekeina kai ta klinē anōthen ho theos di' heautou ēge tō adam eisagagōn, idein hin kalesē autā. ei gar exēlthon, ouk an esiōpato en tē theia graphē hē exodos autōn, alla anōthen diēgēsato pōs eisēlthon, hotinos monon eipōn hēmin kai hopote, kai mē tinos exēlthe. kai enantion tōn xenōn kai paradoxōn pragmatōn ho logos estin, ex heterōn tōn ontōn tē graphē enkeimenōn elenchō palin kai Ioudaious, hoti ouk exēlthon ta thēria touto. Eisēlthon sun tō Nōe, palin legei, pro tou kataklysmou ontōn tē kibōtō ta thēria kai ta klinē. kai gegraptai kai hē exodos autōn sun autō. kai arithmos etethē mē pollēs tēs akribeias. homoiōs kai tēn exodon tōn klinōn tou Abraam kai tou Lōt. kai malista tēn tou Iakōb diēgēsato hēmin hē theia graphē ek Mesopotamias hēgoumenōn. ou monon de, alla kai tēn ametron plēthun tōn zōōn tōn sun tō Israēl ex Aigyptou exēlthontōn. kai pōs loipōn, eipe moi, toutōn tōn theopaleōn thēriōn kai zōōn ouk estin ephapsasthai hois ta loipa zōa hēmerōtata, all' autocheirōs hupo theou klidentōn, hē mē on tō adam eisōkisthē, hē de

Dei ut omnia alia animantia ſunt & efficta, in Paradiſum

ἔξοδος ἀνθρώπου ὅλως οὐκ ἐμφέρεται; φοβερὰ δὲ καὶ παράδοξα τὰ μάλα εἰ ἡ ἀσπὶς, καὶ ὁ ὄφις, καὶ ἡ ἔχις, καὶ ὁ δράκων, καὶ ὁ σκορπίος μετὰ τῆς πρώτης πλανηθείσης γυναικὸς τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς ἀπολαύουσι καὶ οὐκ ἐξόρια αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ παραδείσου οὐκ ἐκώλυσεν· οὐκ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μὴ προσεγγίσαι τῷ ξύλῳ τῆς ζωῆς. οὐκ εἶπε περὶ ἀμφοῖν, ἢ τῆς γυναικὸς, ὅπως μήποτε ἐκτείνωσι τὴν χεῖρα, καὶ λάβωσι καὶ φάγωσι τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, καὶ ζήσωσιν εἰς τὸν αἰῶνα. Καὶ πῶς εἶπέ μοι ὁ ἀνδρεῖον ὃν καὶ εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν αὐτοῦ πεποίηκε, καὶ τῷ αὐτοῦ ἐνεφύσησεν ἐμφυσήματι ὕπερ, πῶς γὰρ τὸν ὄφιν, καὶ τὴν γυναῖκα τοὺς αἰτίους τῆς ἁμαρτίας ἔμελλε κατακρίνειν καὶ ἐξορίσειν αὐτοχρήτως αὐτὸν μόνον γὰρ τῶν ἄλλων τὰ θηρία τὰ ἐναπομείναντα ἐν παραδείσῳ κατεδικάσαι; φησὶ γὰρ ὅλως ἐξαπέστειλε κύριος ὁ Θεὸς τὸν Ἀδὰμ ἐκ τοῦ παραδείσου, καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τῆς τρυφῆς τοῦ παραδείσου, καὶ ἔταξε τὰ χερουβὶμ, καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν τρεφομένην φυλάττειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς. ἀλλοίμονον οὖν ἀνθρώπῳ μονώτατος, εἰ γὰρ καὶ τῶν θηρίων κατεδικάσθη. ἐδυσχέρανεν ἄρα καὶ τὰ χερουβὶμ, τῶν θηρῶν καὶ κτηνῶν καὶ ἑρπετῶν, μὴ παύσης ἀϋδίας τοῦ παραδείσου ἀπολαυόντων. αὐτὰ ἄρα τοῦ χερουβικοῦ θείου καὶ τῆς τερατωπῆς ὑλείας καὶ πρωτίας

